



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

Nativitas Christi. 25. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

NATIVITAS CHRISTI.

25. Decembris.

Euge nox omni die candidior ! Vides
 quæ nullus dies vidit. Surgite, ecce
 non ab undis sed stipulis Sol meus. Su-
 peri ! tam propè junctam soli quis um-
 quam lunam conspexit ? videntur è filii
 vultu latiores radios mutuetur maternus
 oculus ? Cæcus sum, nisi in hâc nocte a-
 morem D E I mei video : video, video in
 hoc speculo ruborem meum. Stabulum,
 stipulæ, panni arguunt : Boreas frigus
 pectoris accusat : bos afinusque ingratus
 clamant : loquaces puelli lacrimæ, & è
 parvo pectore magni gemitus damnant.
 An sisto igitur me reum ? at iratum me-
 tuo. At infans est : risu placatur. Ne-
 gant manus tam parvæ fulmen ferre : si
 ferre velint, fasciæ verabunt ; mater non
 feret. Et numquid non pacem Angeli
 nunciant ? Quid ? quod blando insu-
 per risu puer dulcissimus invitat, ob-
 vius etiam iturus, si pedes inferrent.
 Certè in amplexus brachiola offert. In-
 tam amica vincula non curram ? Imò
 pedibus plumbum denique demo. Ite,
 omnia puero vos membra substernite.
 Fœnum etiam vos estis. I, culcitra lin-
 gua esto : aptior V E R B O non potest esse.
 Et tu cor pulvillum præbe : tactu mol-
 Eee Isf-

802 VITÆ SANCTORUM. 26. Dec:
lesces. Vos quoque ite suspiria, & algen-
tem fovere. Eia brachia in fascias; in bal-
nea oculi abite. Denique ignoscite, qui
aëra & rusticos mulcetis, filete Angeli.
Præ omnibus modulis vestris vox opti-
ma, vox vagientis placet.

*Ecce offertur tibi Iesus; curte obruii
suavis, extende manus, expande si-
nus; devotionem tuam probet tam actus,
quàm affectus. Filium qui tibi offertur,
suscipe fide, amplexare affectu, semperque
interubera commoretur. Gueric. serm. 2.
de Nativ. Dom.*

S. STEPHANUS M. 26. Decembris.

Primus pro fide Christianâ sanguine
suo STEPHANUS subscripsit, ut
purpurati in cælo agminis antesignanus
non immeritò habeatur. Sapientiâ
Deoque plenus, eoque ab Apostolis in-
ter VII. principes Diaconus adiectus,
mirum est, quàm multis magnisque pro-
digiis sive Christianorum animos erexe-
rit, sive fregerit dejeceritque Iudæorum.
Et movit ea res bilem indurato ad om-
nem malitiam populo, ut, veluti legem
profanasset, in jus raperent. Sed ille pro
DEO, & se ita dixit, ut ad oculorum
verborumque fulmina attoniti omnes
hærerent, jamque non in hominem
pugnare se, sed Angelum crederent.

STE